GEDEON

CARMEN

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

CAROLO PIO RAVASI

RHODIGIUM PRIMO ADEUNTI

DICATUM

RHODIGII

TYPIS MIATIANIS

MDCCCXXI

Si forte petis, Illustrissime ac Reverendissime Antistes, quonam meo factum consilio, ut Tibi primum Adriensis Dioeceseos regimen suscipienti hac recula occurrerem; id candide accidisse dicam, ne inter tot gratulantium officia, ipse tantummodo debitos exultationis laetitiaeque sensus viderer praetermisisse. Quo enim alio duci poteram studio? Nonne jam saepius expertus sum, me absonam stridulamque rudi manu citharam sollicitare? An fas mihi futurum existimarem, in poeticis praesertim contra impetum fluminis obnitenti, de tuis laudibus, de quibus etiam penes nos fama percrebuit, aliquid non omnino invenuste exarare? Hoc qui valent aggrediantur, non ego, qui satis habeam, si quae obsequii observantiaeque signa Tibi exhibere conatus sum, comiter humaniterque digneris excipere.

Rhodigii ex aedibus Seminarii Postridie Kal. Aug. M. D. CCC. XXI.

Observantissimus
N. N.

Ergone barbaricis Superûm dare colla catenis
Isacidas placitum Regi? Nec fusa precantum
Vota Sacerdotum mactataque plurima ad aras
Victima, lethiferum populi scelus omne piabit?
Non lacrimae gemitusque juvant quibus antra resultant,
Antra prius rabidis ululatibus icta ferarum,
Nunc misere heu! profugum crebris pulsata querelis
Hoste domo minitante necem? Nil spretus avitae
Relligionis honos infractaque jura superni
Numinis? Insultans Madian canet ergo triumphum,
Devictamque sua gentem ditione tenebit
Immerita, cultosque rapax populabitur agros?
O qui sidereos moderaris ab aethere cursus
Omnipotens Pater, alta tuo qui culmina coeli
Concutis imperio tremefactaque tartara misces;
Surge age terrisonis infringere fraena procellis,
Solve catervatim transversa repagula circum
Carceris horrenti luctantes murmure ventos:
Una omnes coeant, par omnibus ardor iniquas
Agglomerare graves nigranti turbine nubes,
Supremamque diem palanti inferre catervae.

Intremat atra cohors rutilante furentibus aura
Ignibus, et scisso crepitantia fulmina ab axe
Excidium latura sonent: quassata dehiscens
Motibus, igniferas tellus vomat impete flammas,
Infernasque sinus reserans immane cavernas,
Per vetitum bacchata nefas detrudat in umbras
Agmina perpetuas. Vel motas aggeret iras,
Absistatque suis contundere fluctibus aequor
Littora, et exundans tumefacta volumina aquarum
Inferat hostiles medios fervere per agros.
Fallor? an in miseros animum magis accipis aequum,
Et miseratus aves longos lenire labores?
Non aliter credam sententia pectore surgit.
O Madian Madian, cito diffuge, projice praedas
Corripe signa manu, cape timpana, coge phalangas;
Iste Deus, Deus iste potens qui fulgura dextra
Intorquet, fera bella ciet: jam criminis ultor
Fulmineum multo saturum rotat eminus ensem
Sanguine, et indignans lethales urget in ictus,
Invicto data pugna duci, succedit in armis
Viribus haud fidens Gedeon, sed Numinis aura.

Quamquam, quid Gedeon memorem! Seccessit ab aede
Anxius, et Judae fatum conquestus acerbum
Arboribus dubio loca consita tramite lustrat.
Ast o quale viri portentum pressa timore
Corda tenet! Rutilans delapsus ab aethere fulgor
Flammigero objectas perfundit lumine terras,
Pallentemque metu retroque repente trahentem
Ingenti cum voce gradum Gedeona superstat.
Dum tamen ille stupet monstrumque exterritus horret,

Visa est aligeris stellata excedere ab arce
Virgo vecta notis, Ephraeque insistere campis.
Ipsa quidem gradiens divos afflabat honores
Coelicolum numerata choris; at pectus agebat
Intus cura gravis, totoque insederat acer
Ore dolor. Pullo faciem velarat amictu,
Virgineosque sinus geminatus anhelitus angit.
Fusa super niveis sulcos induxerat armis
Caesaries, zephyro leviter crispata jocanti:
Utque fatigata nebulis obstantibus astra
Luce micant, raraque tegunt caligine vultum;
Lumina sic etiam lacrimis suffusa nitebant,
Perque genas largo fletus defluxerat imbre.
Vincula jungebant inviso foedere palmas;
Scribitur et suras complexis terra catenis.
Post licet in fauces premerent suspiria voces,
Talia verba duci gemitu permixta profatur.

Non mihi terrigenas inter genitalis origo,
Sed genus eximium: coelestes hausimus auras;
Inque locus supera nobis conceditur aula.
Numinis ipsa tamen nunquam violanda capessens
Jussa, novas edocta vias, nova dogmata coelo
Reddere tartareo plectendas carcere gentes;
Praecipue ductos praeclaro sanguine ab Abraham
Institui populos: dictis tu testis adesto.
Nam quae pro meritis merces? Qui mente revolvi
Tot benefacta putem, fractis cum legibus effrons
Gens ingrata meas renuat procumbere ad aras,
Thuraque sacrilegis adolenda altaribus addat?
Hinc retro Isacidum fluxit fortuna, nec ultos

Probra, vides dignas persolvere crimine poenas:
Hoc tristes perpessa vices, hoc vincula nodis
Implicuere manus, lacrimisque offusa gemiscunt
Lumina. Nunc autem quoniam mea numina poscunt,
Et posuere viri dementia pectora Juda
Patre sati; adversis nequaquam casibus angi
Ulterius patiar: mihi jam Regnator Olympi
Prospera pollicitus: cadet impius hostis, et ima
Valle reluctantes prosterni caede catervas
Undique conspicies, transfossaque corpora tabo
Lurida, spumigero Jordanis flumine volvi.
Nec mora, tu magni ductor certaminis adsis,
Sic Superis visum: caecos propelle timores,
Dejectosque animos revoces: incognita virtus
Deficit, impavidos sequitur victoria plausu:
Dixit, et extemplo species induxit honestas
Extersitque oculis fletus, manicisque soluta
Pernicibus volitans vacuum subit aera pennis.
  Haec secum interea Gedeon sub mente volutans,
Ilicet acciri audentes in praelia jussit
Quos alit imperiis quondam regnata Manassis
Terra viros, Madianque parat perfringere vires.
Sed vigil acceptas compescere nescia voces
Fama prior data jussa facit, liquidumque pererrans
Aere sonante polum, populis inclamat: ad arma
Arma citi Isacidae, properate insurgite bello;
Quis pavor intus habet suspensaque pectora pulsat?
Vincitis, et vestros Gedeon moderabitur ausus;
En vocat increpitans captis succurrere tectis.
  Tum reboante tuba concretas frigore montes

Excussere nives, visique attollere ad astra
Laetitia superante caput, tenuitque fluentes
Exultans Jordanus aquas, iterumque relabens
Auctior, algoso devinxit tempora serto.
Oppida plauserunt lapsis exercita rebus,
Nexantesque pedes contritaque terga prementes
Fregerunt laqueos, venturaque gesta morantur.
Continuo rumor partes effusus in omnes
Contrahit Isacidas ultro suprema paratos
Cuncta pati, strictoque lares mucrone tueri
Quo res cumque modo cedat, seu fausta secundo
Aspiret vultu, seu sors extrema minetur
Funera. Conveniunt quibus et pia cura parentis
Iam grandis natu, vel cara regenda propagó,
Tristis amarities distracto conjuge matris,
Et quos laudis amor stimulantque furentia Martis
Praelia, quosque domi segnes formido retardat:
Nulla quies, mora nulla datur, longo ordine circum
Turba ruit Gedeona ducem, validaque coruscans
Scuta manu gladiosque rotans certamina poscit.
Ille diu voci linguaeque pepercit, at inde
Viribus ut comites numeroque tumescere vidit,
His super incepit: Non haec mea pugna requirit
Agmina, nec tali paritur victoria nisu.
Est aliter nobis quam multo ex milite robur.
Si modo pugnatum vestra virtute venitis,
Et placet aeternum super aethera tollere nomen;
Nequicquam innexos palmis disrumpere nodos
Tenditis, et nostras Madian irriserit artes.
Sin genus infandum sceleratаque corda potenti

Numinis auxilio devinci posse putatis;
Quid, quaeso, innumeras cogisse in bella cohortes
Proderit, aut curvo domibusque arvisque relictis
Desisse incultas invertere vomere glebas,
Et nova molitos falces procudere in enses?
Sat lateri socios per dura pericla trecentos
Magnanimos habuisse viros, quos longa laborum
Exercet series; numero nil fidimus ipsi;
Quare agite, et vestras reduces invisite terras.

Sic ait, ingentes jussitque abscedere turmas
Indecores, lectosque statim quibus una salutis
Credita spes coelo relegit, dein talibus orsus.

O juvenes delecta manus generosaque in armis
Pectora, si patrias steterit defendere leges,
Et spretae opprobrium tangit praecordia gentis;
Nunc opus est animis, nunc quo vocat ipse sequamur
Qui movet obtutu digitoque resolvit Olympum.
Hoc duce vel pauci quamvis properemus in hostem,
Quem tenet immemorem vesana superbia cladis,
Fundimus, et passim sternemus corpora in agris
Scuta per et gladios galeasque immixta comantes.
Quod ni vera loquor, si me quis decipit error,
Aut foret invictae male nota potentia dextrae;
Vos vos purpurei submersae vortice ponti
Pugnacis Pharaonis opes, tractaeque quadrigae
Praecipites agitante salo, vis tanta tyranni,
Vosque olim infenso Hierichuntis moenia testor
Numine strata solo, fusique trementia clavo
Tempora foeminco Sisarae terebrata furore,
An Deus iste potens victorque inimica retundat

Agmina. Cur porro pharetram gestamus et hastam,
Casside vel tegimur? Cur non sua jussa tenemus
Dum monet insidiis multos aperire per enses
Non jaculis ferroque viam? Quin buccina et ardens
Sit manibus lampas: quae post sententia, pandam.
Haec memorans perstat, cuncti simul inde fremebant
Isacidae assensu, tacitique recentia prensant
Arma doli promptique ducis mandata facessunt.

Coeperat interea vigiles conscendere currus
Nox atra alipedum solvens retinacula equorum,
Roriferumque caput rutilis contexerat astris.
Jam nemus omne silet, sylvis levis aura susurrat,
Nullaque crudeli mortales dente momordit
Cura, sed illapsum carpebant corpora somnum
Aethere, desertas Gedeon cum venit ad undas
Fluminis, excelso collis cui proximus adstat
Culmine, et obtectas flexo petit agmine valles.

Haud procul hinc locus est dextram Jordanis ad oram,
Quo sternunt vacui spatioso se aequore campi,
Pingue solum pecori, calamisque agrestibus arva
Concita pastorum, multoque subacta ligone,
Dum vaga sollicito risit fortuna colono,
Nunc inculta jacent herbis crescentibus ultro.

Huc devecta phalanx longo defessa labore
Isacidum populata domos sub nocte quierat.
Procubuere viri passim per lata silentes
Gramina, et hirsutum posito thoraca supinant
Pondere loricae, nullus timor ingruit hostis;
Nec sublata ducum circum tentoria telis
Pernoctant vigiles, aut muta silentia rumpunt,

Si qua repente sonet subito via tecta tumultu:
Tanta quies animo, tantus sopor occupat artus.
Quae simul ac Heros tenebris speculatur opacis,
Spem vultu ostentans tenui sic incipit ore:
Nunc, socii, tentanda salus, nunc frangere turmas
Tempus adest, nostro celeremus Numine pugnam.
Inscia centeno circumdate milite castra
Agmine partito, et terna consistite parte;
Clangere cumque tuba lycnumque efferre micantem
Me primum accipitis, cuncti data signa secuti,
Conduplicate sonos facibusque inducite flammas.
Haec ait, et medios volvebant sidera cursus
Dum notos acies furtim vallaverat agros.

Ecce autem Gedeon latebris egressus ab imis
Aere canit rutilumque tulit funale per umbras.
Undique responsant comites, cava classica murmur
Horrifice ingeminant, coelumque fragore fatigant.
Nox devicta fugit, micat ignibus abdita vallis.

Excutitur clamore virum strepituque tubarum
Hostis, et admirans flammantia prospicit arva;
Obstupet, at subito metus additus excitat iras,
Seque parat Madian truculento Marte tueri.
Arma omnes aptant, horret sibi miles aheno
Tegmine protectus galeaque micante relucet.
Expediunt alii gladios, pars caetera laevam
Inseitat clypeo, dextris hastilia gestat.
Corripuere alii pharetras arcusque remissos
Obnixi intendunt, telumque volatile nervo
Imponunt, cupidique manus conferre reposcunt.
Hic tamen infractae vires compressus et ausus

Prodigio: visus delabi acerrimus axe
Bellator, parmamque levans haec prodere dicta:
Proh caeci revocate gradum! Quo tenditis unquam,
Quae mens, quique animi, quis vos ferus ardor adegit!
Pergitis immixti gladiis hostilibus, instat
Castra tenens Gedeon, sociisque in summa vocatis
Praelia, congestas superat mucrone phalangas.
Vox ubi triste monens noctis jactata sub umbris
Increpuit, vetuitque pavor tentare relatis
Si qua fides, si vera ferant responsa per auras;
Prosiluere viri, mediosque invadere in hostes
Ense rati, comites alterna caede trucidant.
Ira furor rabiesque simul certamina miscent,
Scuta sonant galeaeque gemunt, tonat ictibus aether
Armorum incursu, jaculataque spicula scindunt
Thoracum tegmen pendentque infixa lacertis.
Membra solo miseri calamis correpta dedere;
At pudor exagitat, miserandaque mortis imago
Instaurat vires furiataque pectora pungit.
Acriter assurgunt manibusque rigentia ferro
Tergora certantum rapiunt urgentque trahuntque,
Nectentesque pedes pedibus dextrisque sinistras
Praecipitant, lapsu tellus percussa remugit.
Ac veluti in sylvis praedam vix nactus opimam
Infremit ore leo laniataque viscera carpit;
Non secus indomiti discerpunt dentibus artus.
Corpora per terram graviter projecta revolvunt,
Nunc super unus adest, modo fortior emicat alter,
Sauciat iste latus, pectus transverberat ille,
Vulnera utrinque patent, permixtus sanguine sudor

It campis large vitamque in caede relinquunt.
Parte alia asperior ruit in sua funera miles,
Horrescitque magis facies teterrima cladis.
Quisquis in exitio veritus jactare triumphum
Isacidas, verso sibi confodit ilia ferro
Semianimisque plagae rabie compulsus hiatum
Tractat, et exosae proscindere stamina vitae
Festinat. Patulae jugulata cadavera vallis
Implerunt adytus saniesque aspersa per agros
Turpiter in rivos refluit discreta rubentes.
Terror ubique ingens, renovant simul omnia luctus.
Cernis inaccessas cursu conscendere rupes
Inque latebrosas Madian penetrare cavernas.
At loca nota putat potius pars maxima ad oras
Tendere Jordanis fluviique innare per undas,
Instantique fuga sese subducere morti.
Quid tamen haec miseri, si Numinis ira resaevit
Acrior, et tristes meditatur sumere poenas!
Iamque ante oppositas tenuerunt agmina ripas
Foedere juncta duci profugosque aversa repellunt,
Ipse acies Gedeon sequitur post terga subactas.
Effera gens amens tumidi vada fluctibus amnis
Insilit, optata captans tellure potiri.
Vix pauci adnantes obiecto in littore prostant
Tardaque vulneribus raptantes corpora oberrant
Nocte sub incerti sibi quae fortuna reservet.
Unda vorax reliquos sinuosis orbibus ambit,
Involvitque tumens discissaque vortice mersat.
Fertur aquis devota phalanx morituraque flumen
Gutture hiante bibit, coecisque illabitur umbris.

Cum primum Gedeon sensit periisse catervas,
Exultans carmen cecinit solemne triumphi.
Dein vitasse memor crudelia damna potenti
Isacidas pugnante Deo, pia solvere vota,
Et gratos statuit cordis depromere sensus.
Protinus arboreis contextam frondibus aram
Imperat extolli, sertisque halantibus ornat.
Stant pariter comites libandaque munera praestant.
Post simul innixi genibus manibusque supinis,
Haud impune ferens contemni numen adorant.

Scilicet ista Dei mortalibus abdita virtus,
Quosque suos legit ipse duces populisque regendis
Destinat, auxiliis juvit firmatque fovetque?

Accipe qui morum nostram Moderator ad urbem
Inclyte Praesul ades, mea, deprecor, accipe dicta.
Pectore solve metus moestosque averte dolores;
Si Te forte putes nimiis succedere rebus,
Non erit, ut tanto curvetur pondere cervix,
Quandoquidem coelo veniet solamen ab alto.
Est Pietatis honor Tibi creditus, arcta salutis
Prosternenda gregi spissis abrupta salebris
Semita, namque animus dubio versabitur aestu,
An velit inoeptis Superum Dominator adesse?
Dura quidem retegam, ne vana edicere credas,
Faucibus inferni surget digressa barathri
Exitiale ciens effraena licentia bellum,
Pone daturus opem celso comitabitur error
Vertice, et arcanos jactabit perfidus astus.
Tunc generosus adi, latitantes disjice fraudes,
Victor eris, furiisque sinas ardescere 'avernum.

Quid qnereris clypeis gladioqne carere minanti?
Nimirum Deus arma dabit, quibus agmina quondam
Aggressus Madian Gedeon, peperitque ruinam.
Fax intacta Fides Sacrum Tibi buccina Verbum,
Hisque triumphales referes discrimine palmas.
Coelesti exiliet perculsus luce latebris
Impius erroris, damnataque dogmata temnet.
Excussus sonitu stimulis vexatus amaris
Componet prudens corruptos crimine mores,
Virtutisque premet vestigia summa scelestus.
Et quoniam pavor omnis abest curaeque remotae,
Exoptate veni, propriasque invisere sedes
Accelera. Ut quanto dicam dignabere honore!
Hic nempe imperii princeps sortitus habenas
CAESARIS excipiet praestans pietate Minister.
Occurrunt Proceres, vocemque ad sidera tollunt
Plaudentes cives, sacris indicitur aris
Festa dies, luxuque novo nitet aula Tonantis.
Inspice turmatim vulgus cursare per urbis,
Te adventante, vias, tactumque cupidine vultum
Inspectare tuum partem densatur in unam.
Salve igitur Praesul, nostri Pater optime salve,
Sis felix, longosque Deus det vivere in annos.